



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quinam superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam religionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

rum recipere (ne detur vagandi occasio) & hic habeat literas dimissorias à suo superiore, ut appareat, motivum illius fuisse examinatum.

§. II.

Quinam superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam religionem?

Non tantum immediatus, sed etiam mediatius superior ordinis, aut monasterii, Provincialis v. g. Generalis &c. licentiam hanc ad strictiorem ordinem transeundi, per se dare potest, cum non tantum immediatus, sed mediatius etiam verus religiosi talis sit superior, à quo licentiam petendam præscribit *cir. c. licet*: & sicuti licentia Episcopi, casu quo exemptum etiam monasterium non esset, ad transitum hunc non requiritur, ita nec requiritur consensus Capituli, cum nihil de alterutro requisito innuat *statutum capitulum*. Monialibus tamen, si dicto modo transire velint, præter Abbatisse suæ v. g. licentiam peritiam necessarium etiam est petere eam à Prælato regulari, cui subsunt, & ab Ordinario loci (saltem si non exemptæ sint) cum judicare de causa transitus v. g. res gravis sit, mulieribus non concessa, prout in quibusdam ordinibus ex peculiari- bus ordinum talium statutis, ob rei gravitatem, hæc dandi licentiam potestas reservata est Provinciali vel Generali.

Licentiam verò ad laxiorem, aut paris rigoris ordinem transeundi solus Papa concedere potest, si nulla iusta causa transeundi habeatur (saltem pro foro externo) ex iusta tamen causa in-

firmitatis v. g. aut gravium inimicorum &c. cum sit non tam commutatio in melius, sed quasi alienatio aliquæ, potest quidem concedere transeundi licentiam nonnunquam etiam immediate superiori, cum consensu tamen Capituli si quasi Episcopalem jurisdictionem habeat, & immediate Papæ subiectus non tamen, si alij superiori regulari Provinciali v. g. Generali &c. subsit sit, cum in tali casu licentia danda non tam immediato Prælato conveniat v. g. Guardiano &c. sed illi qui in ordine, aut Provinciæ præest, cui in professione suam religiosam tractandam competat, ita tamen, ut in ordinibus non exemptis, Episcopus etiam cum consensu Abbatis seu Prælati non exempti, & Capituli transitum talem concedere possit.

§. III.

An & quatenus permittum sit, et prohibendum ex certis religionibus transire ad alias.

Canonicum regularem transitum ad ordinem Monachorum, eodem modo in monasterio, ad quod transitus strictior sit observantia *ex c. Sicut in d. c. patet*, & quamvis de iure antiquo decretorum *causa*, 19. q. 3. hoc non liceat, ob specialem pro illo temporis gentem rationem, quo tempore monachi sacerdotes non fuerunt, fuerunt autem Canonici, ne ad inferiora descenderetur, quia tamen hæc ratio nihil urget, concessa est hodie hæc transeundi licentia (saltem de iure communi, & servatis regulis